

tia, cum potius videretur e contra titulum coloratum magis requiri in annuali, quam in triennali possessore, & respondit, quod regula de annali non favet possessori, propter se principaliter, sed propter negligentiam impetrantis; nam cum impetrans potuerit impetrare ante lapsum anni, & sit negligens, idem regula in ejusdem negligentia odium data est.

56 Vigésimus nonus Effectus est, quod casus fortuitus, qui alias solet excusare; *Rota Genue decis. 56. num. 1. per ibi allegata*, tamen data negligentia, & mora in restituendo rem, quam debet restituere, vel negligenti imputatur, *l. cum proponas C. de nautico fenore, l. quod te ff. si certum pet., Ludovis. decis. 146. n. 11. 13. 14.*

57 Trigésimus. Ex negligentia oritur tacita renunciatio Jurium, *Giurba decis. Sicil. 4. num. 2., Verall. dec. 266. nu. 4., Ludovis. decis. 507. num. 4., Fontanell. decis. 282. num. 12., Riminald. Junior. consil. 45. num. 12.*

58 Trigésimus primus, quod negligens non debet esse melioris conditionis, quam alius, cui nihil potest imputari, *l. Servius ff. quod vi aut clam., Riminald. Junior. consil. 48. num. 10. Giurba decis. 4. num. 3.*

59 Trigésimus secundus. Effectus est, qua-

## ARTICULUS XV.

### Qualis, & quanta Negligentia requiratur ad incurrendas Ecclesiasticas censuras, & poenas, & Irregularitatem.



Liqua in hoc articulo ex communi D.D. sententia sunt certa, alia vero sub dispositione, & sententiarum varietate.

1 Ad incurrendam excommunicationem majorem, quae propter omissionem operis praecipii sub excommunicatione imponitur, requiritur culpa mortalis, sicque negligentia, quae importet culpam latam, oportet enim, quod omittens sciat sibi praecipuum opus sub excommunicatione, sicut *Matth. c. 18. si Ecclesiam non audierit sit tibi sicut ethnicus, & publicanus*, ut autem audiat Ecclesiam necesse est,

do, & ubi duo fuerint negligentes vicissim, & alter in alterum, tunc ista negligentia pari compensatione tolluntur; unde si Cajus ex negligentia damnificavit Sempronium in decem in negotiatione, & pariter Sempronius damnificavit in decem per negligentiam Cajum, mutua compensatione hujusmodi damnificationes tolluntur, *tex. est expressus in l. si animo ff. de compensationibus*, quem *tex. explicat Beroi consil. 191. num. 34.*, habere locum, quando par esset negligentia, & par esset culpa, & quando tam ex una parte, quam ex altera non constaret, quis magis, & quis minus damnificasset.

In confirmatione praedictorum mirè facit, quod dixit *Salamon. proverb. c. 24. Vers. 30. 31. & 32.*, per haec verba (*Per agrum hominis pigri transivi, & per vineam Viri Stulti. & ecce torum repleverant Urtica, & operuerant se perniciem eius spine, & Maceria lapidum destructa erat. Quod cum vidissem posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Usquequo piger dormies, Usquequo de somno consurges. Parum inquam dormies, modicum dormitabis, parvillum manus conseres, ut quiescas, & veniet tibi, quasi cursor, egestas tua, & mendicitas quasi Kir armatus.*

ut sciat Ecclesiam praecipere, sitque contumax, & negligens non audiendo, idest non implendo praecipuum, quae contumacia, & negligentia erit gravis, & mortalis, dum omittit facere, quod sub poena gravi fuit praecipuum, quod indubitatum apud omnes dicit *Sanchez. de matrim. lib. 9. disp. 32. num. 29.* ex gravitate enim poenae comensuratur delictum *c. felix vers. illud de parnis in 6. c. fin. de iis quae fiunt à majori parte capituli, c. proposuisti disp. 82.*, ex allegatis per *Barbosam in votis decisiois vot. 53. num. 5.*, *facti tex. in l. sanctimus C. de poenis, c. non asseramus 24. quest. 1. Vide art. 23.*

2 Excommunicatio vero minor, cum imponatur propter culpam venialem, ut est communicare cum excommunicato, ita poterit etiam propter negligentiam venialem, quae scilicet importat culpam levem, incurri.

3 De Negligentia requisita ad incurrendam suspensionem, major est difficultas, utrum semper requiratur negligentia lata, seu quae importet culpam latam, & mortalem, vel etiam sufficiat negligentia levis, aut levissima, quae importat culpam tantum venialem, observo tamen, quod suspensio quandoque habet rationem poenae, & non censuræ, & est quando fertur à Judice pro delicto commisso, & in hoc casu non cadit negligentia, de qua hic querimus, quandoque infertur pro delicto committendo, & tunc habet rationem censuræ, contingit autem, quando Episcopus praecipit aliquid fieri sub poena suspensionis latae, aut ferendae sententiae, & Clericus negligit implere praecipuum, in quo casu est praesens investigatio, in quo articulo non sic concordant scribentes, qualis, & quanta negligentia requiratur, *Navara enim summa c. 27. num. 151., 159., 165., summa Armilla V. suspensio in principio*, existimant sufficere culpam levem, qua propter negligentiam cum veniali culpa sufficiat.

4 Alii vero, quorum sententiam esse hodie valde receptam, dicit *Suarez. de censur. disp. 28. sec. 4. nu. 6.*, requirunt culpam mortalem, eo semper fundamento, quia suspensio, cum sit poena gravis, solum pro culpa gravi ferri debet, ut poena commensuratur delicto.

5 Verum ipse *Suarez.* bene distinguendo procedit, nam suspensio multipliciter ferri potest, vel scilicet generaliter, & totaliter, idest ut suspendat Sacerdotem ab exercitio omnium ordinum, & à beneficio &c., & dicitur ab officio, & beneficio, & tunc eam poena sit gravis, requiritur etiam culpam gravem, sicque negligentiam, quae importet culpam mortalem.

6 Alia vero fertur suspensio partialis, idest ab uno, & non ab omnibus, ut ab officio, sed non à beneficio, vel exercitio unius ordinis, & non omnium ordinum, à participatione distributionum correspondentium uni horae canonicae, & non ceteris; si ergo suspensio sit generalis, & totalis, tunc requirit negligentiam, quae importat culpam latam, & mortalem, ea ratione, quia est

poena fati gravis, quod quis suspendatur ab officio, & beneficio, si vero sit partialis videndum est etiam, an sit poena gravis, vel levis, si gravis, ut est suspensio ab officio, quia tunc non poterit exercere officium ordinum, nec missam celebrare, vel à beneficio tunc etiam requiritur negligentia, quae importet culpam gravem, at si est suspensio de aliquo, quod reputetur leve, ut à participatione distributionum correspondentium uni horae tunc poena levis est, levis etiam sufficet culpa, sicque negligentia, quae levem, & venialem importet culpam.

Quae usque modo dicta sunt militant, non solum in censuris, sed in qualibet poena, quia semper intrat regula, quod poena debeat commensurari delicto.

7 Potissima difficultas est de irregularitate, quam aliqui dixerunt poenam, alii non poenam sed impedimentum, & incapacitatem canonicam, ex quo deducebant posse incurri irregularitatem ex quacunque culpa, quia cum non sit poena, non refertur ad culpam, quae sententia habet verum sensum considerata irregularitate, quae oritur ex defectu, tunc neque est poena, neque culpam supponit, quod enim quis sit caecus, claudus, manu carens, &c., non idem est in culpa, & tamen est irregularis, quod ostendit *Christus Dominus Jo. c. 9. discipuli interrogantibus de caeco nato (Magister, quis peccavit hic, aut parentes ejus, ut caecus nasceretur) respondit neque hic peccavit, neque parentes ejus, at irregularitas, quae oritur ex delicto, haec est poena, dicens relationem ad culpam, & de hac est praesens quaestio, si contingat, quod irregularitas infurgat ex culpa consistente in omittendo, an ista omisso, quae est negligentia debeat esse culpa gravis lata, & mortalis, an sufficiat levis, vel etiam levissima.*

8 Proponit sub his terminis hanc difficultatem. *Diana part. 4. tract. 2. resol. 21., Suarez. de censur. disput. 45. sec. 5. num. 4.*: Qui bene explicat quaestionem, non esse de irregularitate, quae incurritur ab eo, qui dabit operam rei illicitae, periculosae, ut in homicidio casuali commisso ab eo, qui dabit operam rei illicitae, propter periculum homicidii, vel mutilationis; *argum. text. in c. continebatur de homicidio*, ubi nullam aliam inveniens culpam in Monacho facto irregulari, nisi quod daret operam rei illicitae, periculosae, pro ut infra patebit, exemplificat *Farinac.*

*rinac. fragm. crim. p. 2. Vers. irregularitas num. 540.* de iis, qui ludunt hastiludio, vel pugnant iniectis lapidibus, vel similibus, qui ludus cum sit de se periculosus homicidii, vel mutilationis, secuto homicidio, etiam si nulla intervenerit negligentia, sed immò adhibita sit omnis possibilis diligentia, tamen semper incurritur irregularitas, quia est imposita à Jure, in pœnam operis prohibiti, vel illiciti, propter periculum; *S. Antonin. p. 3. lumen tit. 9. c. 2. n. 4.; Sylvester Vers. homicidium 2. num. 5.; Alphonsus à Castro de potestate legis penal. lib. 2. c. 14. Vers. nec refert., Cajetan: 2. 2. quæst. 64. art. 8.; Navarra Manual. c. 27. n. 235. Versiculo Vigesimo secundo; Sot. de Just., & Jure lib. 5. quæst. 1. art. 9., Covaruv. in Clem. si furiosus p. 1. §. 4. nu. 10. Vers. Quarto; Sayr: de Censur. lib. 7. c. 6. num. 17. 18., Avila de censur. p. 7. tit. de homicidio casuali disput. 6. sec. 1. Vers. primò sequitur; Barbosa in c. Esau nu. 4. dist. 86.*

Alius casus in c. ult. de homicidio in 6., Ubi mandans alterum percuti, etiam cum hac cautione, ita tamen ne mutilet, vel occidat, si ex tali percussione sequatur mors, aut mutilatio, mandans incurrit irregularitatem, ex eo præcisè, quia dedit operam rei illicitæ periculose percussio enim de se involuit periculum tale, ita & in c. tua nos de homicidio, in quo declaratur irregularis Monachus, qui exercens chirurgiam Monacho prohibitam, apperuit tumorem in gula cujusdam Mulieris, quæ ob suam incuriam non servavit præcepta ejusdem Monachi, & obiit, in quo casu Monachus irregularitatem incurrit, licet omnem adhibuerit diligentiam, ex eo solo, quod dabat operam rei illicitæ de se periculose, ut latius explicat *Suarez. disp. 45. de cens. sec. 6. num. 12., Sayr: de cens. lib. 7. c. 5. num. 13., Ugolin: de irregular. c. 18. §. 1. num. 19.,* licet non desint, qui etiam sentiant dantem operam rei illicitæ, si adhibueri omnem diligentiam, evitare irregularitatem, quia tunc homicidium nullo modo est voluntarium, neque in se, neque in causa, ita *Bonac: de irregular. disp. 7. quæst. 40. p. 7. sub num. 9. V. secunda sententia,* ibique per eum allegati, at tamen sententia *Suarez.* magis conformatur canonicis sanctionibus quibus in hac materia standum est, tum quia illud homicidium factis voluntarium est, dum voluntariè is vult facere opus illicitum de se periculosum; nam qui amat periculum, peribit in illo.

9 Sequendo ergo primam sententiam, quando quis det operam rei illicitæ de se periculose, quælibet negligentia sufficit ad incurrendam irregularitatem, vel sit lata, vel levis, vel levissima, quia si incurritur etiam omni possibili diligentia adhibita, tanto magis si deficiat diligentia in aliquo, defectus autem diligentia est negligentia, *Megala de cens. p. 3. lib. 7. c. 2. num. 7.,* Ubi quod sufficit culpa levis, n. 110., & seqq.

10 Notandum est etiam, quod negligentia potest esse totalis, ita ut opus de se illicitum, & periculosum consistat in omissione ejus; quod quis tenetur facere, ut Princeps, Judex, aliique ministri justitiæ, qui tenentur impedire delicta, & maximè homicidia, ne sequantur inter Cives, si contingat, quod videant periculum homicidii inter Cives imminere, possint impedire, & tamen omitant, & negligant, & homicidium de facto sequatur, de quibus latè *Farinac. quæst. 5. per totum,* ita si hospitalarius omitat præbere cibum ægroto, ex quo fame pereat, tunc quæritur an Princeps, Judex, vel alius minister, & hospitalarius sic obligatus, per hanc totalem omissionem negligendo, fiat irregularis, & ratio dubitandi est, quia negligentia ista totalis, est culpa lata, & mortaliter peccaminosa, quia deficit Judex in re gravi de spectantibus ad suum officium, & in iis, ad quæ tenetur ex justitia, ita & hospitalarius; Negligentia verò potest esse non totalis, idest non consistens totaliter in omissione, sed partialiter tantum, ut ita dicam, ut quando quis facit licitum, vel illicitum actum positivum, sed sine debita diligentia, & advertentia circumstantiarum, & in hoc casu etiam quæritur, an requiratur negligentia, quæ sit culpa lata, vel sufficiat levis, vel etiam levissima.

11 In primò de negligentia totali, communior sententia D.D. affirmat, negligentem incurrit irregularitatem, ita *Sayr. de censur. lib. 7. c. 4. num. 3., & seqq.,* ubi plures allegat, *Suarez. de censur. disp. 45. sec. 4. num. 3. 5., & seqq., Bonacina de irregular. disp. 7. quæst. 4. p. 8. num. 37., Farinac. fragm. crim. p. 2. Vers. irregularitas num. 459. 460., Megala de censur. p. 3. lib. 7. c. 2. num. 89.,* qui omnes ad ostendendam sententiam esse comuniorum, alios plures allegant, *Barbosa in c. sicut dignum il primo num. 8. per textum ibi de homicidio.*

12 Fundamentum est, quia sic omitens impe-

impedire mortem alterius, vel mutilationem dum potest, & tenetur ex justitia, reus est homicidii, estque causa moralis illius, qui autem est causa, vel phisica, vel moralis homicidii incurrit irregularitatem, idem consentiens, consulens, mandans homicidium, incurrit irregularitatem, quia sunt causa moralis, omnisque sic omitens impedire homicidium, censetur consentire c. non inferenda, c. ostendit Propheta, c. qui potest 23. quæst. 3., c. dilecto filio de sentent. excom. in 6., ibi (Immo si potest, & negligit suum impertiri auxilium pro repellenda injuria, videatur injuriam facere, & esse participes ejus culpæ) qua propter in c. quantæ de sentent. excom. aperte declarantur excommunicati, qui cum possent defendere rectorem Ecclesiæ, ne agresores in eum manus iniicerent violentas, tamen neglexerunt.

13 Quam sententiam tamen plures ex supra allegatis limitant, tunc tantum scilicet incurri irregularitatem, quando omisio, & negligentia est dolosa, & eo animo, ut sequatur homicidium; *Abbas in eodem c. quantæ sub num. 7.,* quod videtur colligi ex c. quæsitū de pœnit., & remiss., Ubi Sacerdotes Græci, qui filios in lecto oppresserunt dormientes, eo quia non usi sunt debita diligentia, declarantur irregulares, si eorum negligentia fuit studiosa, verbum autem studiosa importat voluntarium, & dolosum faciens homicidium, esse directè voluntarium, & non casuale.

14 Ex hac sententia sequitur; quod Hospitalarius, vel quilibet alius negligens alere hominem, quem tenetur pascere ex Justitia, si fame pereat, fiat irregularis, quia negare alimenta debita ex justitia, est necare, l. necare ff. de liberis agnosc., dixi debita ex Justitia, quia si ex sola charitate, tunc peccaret quidem mortaliter, at non incurrit irregularitatem, quia nullibi habetur, quod violans charitatem fiat irregularis. *Majol. de irregul. lib. 3. c. 48. §. de homicidio ex omis. num. 4. vers. (ex premissis), Sayr. de censur. lib. 7. c. 4. num. 4. ad finem Vers. (sic etiam irregularis est),* *Barbosa in c. sicut dignum il primo n. 19. de homicidio.*

15 Dari tamen posse casum (notarunt aliqui), quo, etiam denegans alimenta ex sola charitate debita, fiat irregularis, si mors famelici sequatur, casus autem figuratur in Prælato Ecclesiæ, Parocho, vel etiam in

laico magno divite, ut erat dives. *Luca 12.* qui epulabatur quotidie splendè, neque miccas Lazaro impertiebatur, sed sinebat fame perire, isti ergo à pauperibus de alimentis expectati, si negligant pascere, fiunt irregulares propter grave scandalum, quod suboriretur in populo ad tex. in c. 1. dist. 85., Ubi quod difamatus nunquam recepisse pauperes, nec dedisse elemosinam reputabatur indignus Episcopatu, & ita post *Majol.* scripsit *Farinac: supra num. 462. ad finem.*

16 Verùm si bene adnotentur scripta, potius irregularitas incurritur ex infamia, juxta tex. in c. litteris de homicidio, quam ex denegatione alimentorum, & negligentia.

17 Sequitur secundo, quod habens feram, vel aliud animal, quod possit nocere hominibus, & de ejus feritate inotescat domino, tamen negligat illud diligenter custodire, aut catenatum detinere, si hominem occidat, aut mutilet, Dominus incurrit irregularitatem ex negligentia, *Bonacina supra num. 40.*

18 Sequitur tertio, quod injuriatus, audiens amicos, consanguineos &c., vele injuriantem interficere, si non prohibeat, & quantum in se est non resistat, secuto homicidio fit irregularis, quia censetur approbare, *Sayr. supra num. 8. Vers., Et idem dicendum est. Farinac. loco supra citato nu. 469.,* licet oppositam sententiam probabilem reputet. *Diana p. 4. tract. 2. resol. 9.*

19 Sequitur quarto, quod Medicus omitendo currare infirmos, ita ut ex ejus negligentia infirmus moriatur; tunc Medicus fit irregularis, quod intelligitur de Medico stipendio conducto, ut latius dicam de negligentia Medicorum in particulari, & ita sentit *glos. in c. ad Aures in Vers. remordeat ad finem de etate qualit., & ordine præfic.*

Hæc sententia cum suis sequellis probabilis est.

20 Verùm non minus probabilem existimo secundam, & oppositam sententiam, quod scilicet ex totali negligentia, consistente in simplici omissione, in casu prædicto, non incurritur irregularitas, quam sententiam refert ultimo loco, sicque censetur approbare *Innocent. in c. Petrus in fine de homicidio,* ubi & *glos. in Vers. contra prohibitionem,* eamque tenent *D. Antonin. in 3. parte tit. 28. c. 2., & in summa de irregularitate c. 3., Vasquez., Hurtad., Tabiena, Turrian., Coninch., Præposit.,* qui eam dixit probabiliorem locis allegatis à *Diana p. 4.*

na p. 4. tract. 2. resol. 7. Vers. Verum bis non obstantibus (ubi in fine ipse Diana reputat eam probabile), & plures casus consequenter resolvit, tum ibi in fine, tum resol. 8., & 9., Valerius de differentiis utriusque fori Vers. homicidium differ. 5. num. 3.

21. Fundamentum potissimum est, quia nullo jure habetur expressum, quod expressum, quod ex simplici omissione quis fiat irregularis, unde intrat certa reg. Juris in c. 15. qui de sententi excom. in 6., quod nemo debet haberi pro irregulari, nisi sit in jure expressum, quod fundamentum mihi satis arridet, & valde probabilem facit hanc sententiam, quæ roboratur c. si quatuor 23. quæst. 8. ad finem, ubi dicitur, quod qui tantum adfuerunt, nec consilio, neque auxilio cooperatores fuerunt, extra noxam sunt, ubi Barbosa num. 3.

22. Nec obstat quod obligatus ex justitia, & omittens impedire homicidium, dum possit, reus sit homicidii c. sicut dignum s. illi etiam de homicidio, hoc fateor, sed non sequitur, quod sit irregularis, quia sacri canones, non quemcunque reum homicidii decernunt irregularem, sed solum eum, qui positivo influxu physico, vel morali insluit in homicidium, quod videtur satis clarè colligi ex c. si quis viduam dist. 50. ibi (similiter si homicidii, aut facti, aut præcepto, aut consilio, aut defensione post baptismum conscius fuerit, & per aliquam subreptionem ad clericatum venerit, deiciatur). Ubi enumerantur solum delicta, & influxus positivi in committendo, non autem in omittendo; ita quando dicunt, quod irregularis est, qui est causa moralis homicidii. Respondet, non omnis causa moralis homicidii universaliter facit irregularem, sed solum, quæ est causa moralis per influxum positivum, ut per mandatum, consilium, & consensum manifestatum, ut in dicto c. si quis viduam, quæ importat actus positivos neque alios casus assignabunt ex sacris canonibus decernentibus irregularem, nisi per actum positivum insluent, etiam moraliter in homicidium.

23. Nec relevat c. quantæ de sent. excom., quia illud loquitur de excommunicatione, non de irregularitate, de qua habemus regulam supra allegatam, non esse asserendam irregularem, nisi ut in jure expressam, & alioquin à diversis non fit illatio.

24. Nec relevat c. dilecto filio s. Et quidem de sent. excom. in 6., ubi quod, qui potest proximum injuriatum relevare ab injuria, & negligit videatur injuriam favere, ac esse particeps culpæ, hoc enim concedo, sed non sit irregularis, cum tex. dicat tantum eum esse participem culpæ, sed nihil habet de pœna.

25. Confirmari etiam potest ex c. Petrus de homicid., & ex c. quia Præsulatus primo quæst. 4., in quibus text., quia consanguinei cujusdam Clerici, occiderunt alium Clericum, ex causa in tex. expressa, & Clericus quæsierit à Papa, an esset irregularis, respondit Papa non esse irregularem, si consenserit, aut consilium dederit, notando, quod non dicit nisi omiserit impedire, vel quid simile, sed solum assignat consensum, intellige extrinsecè manifestatum, aut consilium, quæ sunt positiva.

26. Et si dixeris, quod assistendo, & non impediendo reddit animosorem homicidam, & tunc incurrit irregularem tamquam dans causam; Respondeo, quod adhuc effectum oportet, quod uterque id est homicida, & adstans id cognoscant, scilicet per talem assistentiam, & non impeditorem fieri occisorem animosorem, sed tunc non insluit ex simplici omissione, sed consensu extrinsecè manifestato, & per talem præsentiam ad hunc finem ordinatam, qui sunt actus positivi.

27. Tandem argumentum inevitabile, mihi videtur desumptum, ex promptuariis auctor. Primæ sententiæ, nempe ex, Suarez de censur. disput. 40. sect. 5. sub num. 6., Megala de censur. p. 3. lib. 7. c. 2. num. 12. 13., sicut in materia excommunicationis, ponit etiam, Alterius de censur. tom. 1. d. 1. lib. 4. cap. 4. Vers. (infertur secundo) scilicet illi reputant hanc sententiam probabilem, uti te vera est, probabilitate, tam extrinsecæ, quam intrinsecæ, immò & alii, qui, ut Præpositus probabiliorem reputant, & certo desumit suam probabilitatem ex ipsis verbis juris, & vult Suarez de irregular. disput. 40. sec. 5. num. 6., & patet ex supra allatis; tunc subsumo, sed datis opinionibus probabilibus hinc inde, una affirmans in tali casu impositam esse irregularem, alia negans, tunc per allegatos Doctores tenendum est, non esse impositam irregularem, quia tunc verificatur;

quod

quod non sit in jure expressum, ut requiritur, igitur data probabilitate hujus secundæ opinionis ex istis Doctoribus, verum est dicere non esse in jure expressum, quod per actum merè omisivum, & totalem negligentiam in non impediendo homicidium dum possit, & teneatur, incurrat irregularem; idèoque existimo, hanc secundam sententiam esse de jure tenendam.

28. Addas, quod ubi sunt diversæ opiniones probabiles, est ea tenenda, quæ æquior, humanior, & rationabilior est, ut ista secunda ad tex. in c. 2. de cognat. spirituali, ubi Barbosa num. 2.

29. In secundo casu quando delictum, scilicet partim consistit in committendo, & partim in omittendo, diversæ sunt scribentium sententiæ. Prima est, quod quælibet negligentia, etiam levissima sufficiat, ita Alexand. Neapolit. in addit. ad Abbat. Panormit. in c. lator littera B. de homicidio glos. in c. significasti il primo, in V. prius scrivisset in fine, ad quod allegat, c. continebatur de homicidio.

30. Secunda sententia est, requiri saltem culpam levem, ita Vivald. Candelab. aureo de irregular. ex homicid. casuali s. 4. num. 6. Sylvester V. homicidium 2. nu. 2. V. potest addi quarta regula, aliique relati per Bonaciam, Sanchez, Suarez, locis infra citandis.

31. Tertia sententia est asserentium requiri negligentiam, quæ importet peccatum mortale, nec sufficit quodcunque mortale, sed quod proveniat ex negligentia crassa, & affectata, ita Suarez de censur. disp. 45. sec. 5. nu. 8. Sanchez de matrim. lib. 9. disp. 32. nu. 34., Bonacina de irregular. d. 7. q. 1. p. 3. num. 1., Barbosa in c. quæsitum de penit., & remis., & in Clem. si furiosus de homicidio nu. 21. in fine, quorum sententiâ approbat Farinac. frag. crim. p. 2. V. irregularitas num. 536. 537. aliique plures apud eum, qui monet in hoc art. valde notandas esse Theologorum rationes, eo quia ipsi radicitus perscrutantur sacrorum canonum rationes, & fundamenta, ut Pontificis mentem assequantur melius, quam juristæ, Diana p. 4. tract. 2. resol. 85. in fine; Megala de censur. p. 3. lib. 7. c. 2. num. 6., Speculator lib. 3. tit. de dispensat. s. 4. sub num. 13.

32. Dico igitur secundum hanc tertiam sententiam valde probabilem, & præ cæteris mitiorem, atque à pluribus scrupulis hominum conscientias redimentem, quod ad incurrendam irregularem ob homicidium secutum

casualiter, sive dando operam rei licitæ, vel illicitæ, sed de se non periculosa, requiritur tanta negligentia, quæ importet culpam latham, seu mortalem.

33. Rationes plures sunt. Prima desumitur ex c. quæsitum de penit., & remis., ubi Papa interrogatus, an Sacerdotes Greci, quibus erat permissus usus matrimonii, & suffocaverint filios infantulos in lecto, sint irregulares, respondit, tunc tantum esse irregulares, si istis procurantibus, aut studiosè negligentibus filii reperiuntur oppressi, ubi nota illa duo, procurantibus, aut studiosè negligentibus; in primò importatur homicidium voluntarium; in secundo per verbum studiosè, importatur negligentia crassa, & affectata; bonus text. etiam est in c. lator de homicidio, ubi Clericus cum Clerico ludens, eumque ludi gratia proiciens in terram, illius cultellus, quem ad latus suum habebat, in alterum incidit, & fortuito casu occubuit vulneratus; Respondit Pontifex, quod iste Clericus non sit factus irregularis, ratio text. erit, quia licuit Clerico ludere, licuit etiam Clerico deferre cultrum ad sciendum panem, & ad calamos scriptori aptandos, quod autem iste cultellus exeat de vagina, & incidat in collusorem, est adeò casuale, & inopinatum, ut parvam culpam, & inadvertentiam importet in collusorem, ac propterea ex ista levi culpa, non fit irregularis.

34. Secundò, quia irregularitas, ex delicto incurta, est pœna, & quidem gravis, dum importat impedimentum usus omnium ordinum, impedire autem Sacerdotem ne celebret, est maxima pœna, ut ergo respondeat, & commensuretur delicto, ad eam incurrendam, requiritur culpa lata, & mortalis, non enim credibile est, ait Sanchez supra num. 20., quod Ecclesia, quæ est pia mater, velit pro levi culpa, gravem pœnam infligere.

34. Tertio, quia, ut notat Suarez de irregular. disp. 40. sect. 3. num. 18., & Sanchez de matrim. lib. 9. disput. 32. num. 29., & 34., aut raro, aut nunquam potest esse securus, quin incurrerit irregularem, qui alium occidit ad necessariam sui defensionem, quia semper potest dubitare, an saltem leviter excesserit moderamen inculpatæ tutelæ, undè levis culpa oriretur, non est autem adeò scrupulosè sentiendum, ut dicamus, quam libet levem, & venialem negligentiam sufficere, ad incurrendam irregularem, idè in Clem.

Si